

Letter 8a: 26 October 1517, Ingolstadt, Johann Eck to Capito and Johannes Fabri

Printed in J. Greving, *Briefmappe: Erstes Stück in Reformationsgeschichtliche Studien und Texte* 21-22 (Münster, 1912), pp. 224-5. The text of the letter (with a German translation) is also available at <http://ivv7srv15.uni-muenster.de/mnkg/pfnuer/Eckbriefe/N048.html>.

S.P. Tanta fuit vestra in me humanitas, doctissimi viri, ut illam satis apud nostrates praedicare non possim. In animo michi esset referre vobis gratias, ubi oportunitas se offeret. Verum dum gratiam referre deberem, cogor iterum operam vestram implorare. Nam commentarios in *Mysticam Theologiam* ante mensem elucubravi. Verum non apparet michi ex re studiosorum factum, ut Augustae Vindellicorum exaretur, cum nullus sit calcographus, qui doctum adhibeat castigatorem, et quomodo in re tam extranea et rarissima, ac quae summam sapiat eruditionem, ipsi censores esse possent. Delegi Frobenium, excusorem egregium et reliquorum in Germania principem. Te vero Vuolphgangum constitui castigatorem “Argo oculatiorem.” Arbitror te libenter suscepturum hoc onus ob publicam studiosorum utilitatem. In quindena per alium nuncium Augustanum mittam Dionysium, modo commonefaciatis Frobenium nostrum super editione; faciet ipse rem theologis omnibus purioribus et defecatis omnium gratissimam. Cum illo Augustano scribam abunde necessaria. Valete, amici mei, amicissimi mei.

Valete. Ex Ingolstadio, 26 Octobris anno gratiae M.D.XVII. Vester ad vota plus quam paratissimus. Eckius.

Habui orationem funebrem in exequiali pompa reverendissimi episcopi Augustani, ibi ad vos propediem.